

non possunt. Magnus est qui fugit, sed major ille, sed mutandis esse mores pravos; hi enim vulnere causam dederunt.

Vers. 11. 11. ET DIXERUNT AD EUM: QUID FACIEMUS TIBI? — « Rogant, inquit S. Hieronymus, ut ipse remedio sit, qui auctor peccati fuerat: si culpa est quod te suscepimus, quid facere possumus ne Dominus irascatur? quid faciemus tibi? hoc est, interficiemus te? sed cultorem Domini servabimus? sed Deum fugis; nostrum est præbere manus quid fieri jubeas; tum est imperare, quo facto quiescat mare, quod nunc iram suo tumore testatur. »

ET CESSABIT MARE, — id est ut cesset. Est hebraismus.

QUIA MARE TRAT ET INTUMESCAT, — « ut ostenderet ultionem Creatoris se differre non posse, » ait S. Hieronymus, et S. Chrysostomus hom. De Jona: « Sicut, inquit, servus fidelis videns mancipium fugere, insequitur, nec quiescit donec illud apprehendat, reducat, et præsentet domino: sic et mare fugientem Jonam persequitur, nec cessat donec eum capiat, et Deo dedat. »

Vers. 12. 12. ET DIXIT AD EOS: TOLLITE ME, ET MITTITE IN MARE. — Nota hic primo, Jonæ charitatem magnanimam, qua, ne alii pereant: item penitentiam, qua ut Deo offenso satisfaciat, ipse solus perire cupit. Ita S. Hieronymus. Secundo, Jonam hæc dixisse ex instinctu Dei, quo sciebat Deum velle ut quasi piaculum et lustramentum mitteretur in mare; ideo enim a Deo tempestatem hanc esse excitatam. Hoc est enim quod ait: « Scio enim ego quoniam propter me tempestas hæc, » etc. Alioqui enim nisi Deus eum ut fugitum ita sibi dedi poposcisset, nec nautæ potuissent eum mergere, nec ipse nautis potestatem se mergendi et occidendi dare. Porro volebat Deus Jonam in mari mergi, quia fugiens Deum ad mare confugerat; mare tibi, o Jona, fuit in votis, mare pariter sit tibi tortor: in quo enim quis peccat, in eo et punitur. Allegorice tamen causa potior fuit, scilicet ut representaret Christi passionem et resurrectionem, de qua mox plura.

Audi S. Chrysostomum hom. 3 ad Pop.: « Jonas fugiebat terram, et Dei iram non effugebat. Fugiebat terram, et in mare tempestatem induxit; nec tantum nullum ex fuga bonum nactus est, sed etiam eos qui se susceperunt in extremum periculum adduxit: ut discas quod, sicut in peccatis viventi neque navigium prodest, sic peccato exitum neque mare perdit, neque bestie consumunt: verum et animal, et elementum incolume depositum Deo reddiderunt, et per omnia dicebat Propheta esse mansuetus et humanus, et neque stultus nautis, neque feris undis, neque bestiis crudelior esse. Rediit ergo, prædicavit, minatus est, persuasit, salvavit. Propterea ipsum non statim de navigio ad urbem perduxit, sed nautæ mari tradidit, mare ceto, ceto Deo, Deus Ninivitis, et per longum circuitum profugum reduxit. » Vide sequentia, ubi pulchre docet peccatori non

fugientem esse a Deo, quia effugere est impossibile, sed mutandis esse mores pravos; hi enim vulnere causam dederunt.

Hoc Jonæ exemplum imitatus est S. Gregorius S. Nazianzenus; cum enim in Concilio Constantinopolitano orta esset dissensio inter episcopos Aegyptios et Orientales, illis electionem Gregorii in Patriarcham Constantinopolitanum impugnantibus, his defendentibus; ipse synodum ingressus, cohortatus est omnes ad pacem, ejusque causa quasi alterum Jonam devovere se mari, et patriarchati renuntiare liberaliter obtulit, quod et ingenue præstitit. Audi eum in carn. De Vita sua:

Ego vero Jonæ faciens excolem emulor:
Me pro salute do habens nostræ ralis,
Licet excitati turbis causa haud siem:
Nos sorte captos mergite insano mari,
Nos hospitalis cæus excipit: sit hoc
Concordia vobis initium; latitudinis
Locus hic vocetur, splendidiior hic surget mihi.

Alludit ad similem cessionem puteorum, quam Geraritis fecit Isaac Genes. xxvi, 32, qui proinde tertium puteum pacificum vocavit *latitudo*.

Allegorice S. Hieronymus: « Apostoli, ait, deserentes in passione Christum, quodam modo in fluctus precipitabant. Iste Jonas dicit: Scio quia propter me tempestas grandis est super vos, quia me vident venti vobiscum ire in Tharsis, id est ad contemplationem lætitiæ navigare, ut vos perducam ad gaudium, ut ubi ego sum et Pater, ibi et vos sitis. Idcirco seviunt, idcirco mundus fremit, me cupit devorare mors, ut vos pariter occidat, et non intelligit quia velut in hamo escam capit, ut mea morte moriatur. Tollite me et mitte in mare, tempestas que propter me sevit contra vos, me moriente, sedabitur. »

Vers. 13. 13. ET REMIGABANT VIRI, UT REVERTERENTUR AD ARIDAM. — Nota hic pietatem nautarum: nam, ne Jonam, licet id indicantem et se offerentem, mergant, petunt litus in quod eum exponant; itaque et ipsi, et sibi consulant. Propterea, ait S. Hieronymus, « nitebantur reverti ad terram et effugere discrimen, ne sanguinem funderent, magis volentes perire, quam perdere. » Verum cum vident se fluctus oblectantes non posse vincere, sed ab iis vinci, agique rem de omnium vita, satius dicunt unum Jonam perire, quam omnes. Mittant ergo eum in mare, sed antequam id faciant, veniant a Deo precantur. Dicunt ergo:

14. QUÆSUMUS, DOMINE, NE PEREAMUS IN ANIMA VIRI ISTIUS (a), id est, ut Septuaginta, propter animam, id est vitam, Jonæ, quem mergimus et perdimus; sed inviti, coacti, et ab ipso quem perdimus jussi. Unde explicando subdunt; ET NE DES SUPER NOS SANGUINEM INNOCENTEM. — q. d. Ne imputes nobis quod istum innocentem conjecerimus in mare: licet enim nobis sit innocens, nostrumque neminem læserit, tibi tamen est nocens: tu enim per sortes eum sentem declarasti.

Vers. 15. 15. ET TULERUNT JONAM, ET MISERUNT IN MARE. — « Non dixit, inquit S. Hieronymus, arripuerunt; non ait, invaserunt; sed tulerunt, quasi cum obsequio et honore portantes miserunt in mare non repugnantem, sed præbentem manus ipsorum voluntati. » Addit Arias ex Eleazaro quid memorabile: « In Eleazari, inquit, antiquissimi divinatorum librorum interpretis tractatu, qui circa etatem Christi scripsisse dicitur, quantum hoc periculum a viris illis factum traditur, quo divinum de ea re consilium diligentius exquireretur. Nam post privatas deorum invocationes, post jacturam factam, post eductas sortes, post orationem et deprecationem communiter susceptam, illud postremo sepius tentaverunt, ut sublatum Jonam in mare usque ad collum demitterent, rursusque ad sese in navim reciperent; evenisse vero ait, ut quoties missus esset, mare conquiesceret; cum autem receptus, rursus fremere et intumescere sentiret: quo signo divinæ voluntatis certiores facti, Jonam tandem in mare coniectum penitus miserere. » Nautarum sollicitudo in liberando Jona facit idipsum probabile et credibile.

ET STETIT MARE A FERVORE SUO, — cessavit a suo aestu, timore et fluctibus, « quia invenerat quem querebat, inquit S. Hieronymus, velut si quis persequatur fugitum, et concito pergat gradu, postquam fuerit consecutus, desinit currere, et stat ac tenet quem apprehenderit: ita et mare quod absente Jona irascerebat, in visceribus suis desideratum tenens gaudet et confovet, et ex gaudio tranquillitas redit. » Sic allegorice, inquit, Chri-

sto in mare passionis projecto, stetit fervor idololatriæ omnisque erroris, rediit tranquillitas fidei, orbis pax, secura omnia, et gentium conversio ad Deum: sicut ergo Jonæ submersio navis est relevatio; ita Christi interitus, mundi est salus.

Nota: Licet cesset ventus, « sed tandem a vento qui fuit, unda furit: » ita hic post ventum furebat mare, donec injiceretur Jonas; quo injecto, illico quievit, ut indicaret tempestatem hanc divinitus excitatam pariter et sedatam, propter unicum Jonam.

Vers. 16. 16. ET IMMOLAVERT VIRI TIMORE MAGNO DOMINUM. — q. d. Hoc maris astuantis et illicto sedati miraculo nautæ Deum illius auctorem cognoverunt, scilicet Deum Jonæ et Hebræorum esse verum Deum, ad ejusque fidem, timorem et cultum conversi sunt. Ita Hugo, Lyranus et Arias.

ET IMMOLAVERT HOSTIAS (non tantum spirituales precum et gratiarum actiones, ut censet S. Hieronymus, sed etiam corporales: mox enim post Jonam in mare missum, appulerunt ad litus, ibique hostias Deo Hebræorum immolaverunt. Insuper) VOVERUNT VOTA, — offerenda in templo Hebræorum Hierosolymæ, juxta legem et ritus quos a Scribis ibidem erant perquisituri: nec enim a Jona jam misso in mare eos discere poterant. Ita Theophylactus et Hugo. Quare non dubium omnes hos nautas hoc miraculum, Deumque ejus auctorem deinceps ubivis locorum prædicasse et celebrasse. Hinc aliqui suspicari posset nautas hos Deum Hebræorum colentes suscepisse judaismum, et factos esse proselytos.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jonas missus in mare sorbetur a ceto; ibi pulchro carmine Deum invocat et laudat, cujus proinde jussu tertio die evomitur in aridam.

1. Et præparavit Dominus piscem grandem ut deglutiret Jonam: et erat Jonas in ventre piscis tribus diebus, et tribus noctibus. 2. Et oravit Jonas ad Dominum Deum suum de ventre piscis. 3. Et dixit: Clamavi de tribulatione mea ad Dominum, et exaudivit me: de ventre inferi clamavi, et exaudivisti vocem meam. 4. Et projecisti me in profundum in corde maris, et flumen circumdedit me: omnes gurgites tui, et fluctus tui super me transierunt. 5. Et ego dixi: Abjectus sum a conspectu oculorum tuorum: verumtamen rursus videbo templum sanctum tuum. 6. Circumdederunt me aquæ usque ad animam: abyssus vallavit me, pelagus operuit caput meum. 7. Ad extrema montium descendi: terræ vectes concluderunt me in æternum: et sublevabis de corruptione vitam meam, Domine Deus meus. 8. Cum angustia- retur in me anima mea, Domini recordatus sum: ut veniat ad te oratio mea ad templum sanctum tuum. 9. Qui custodiunt vanitates frustra, misericordiam suam derelinquunt. 10. Ego autem in voce laudis immolabo tibi: quæcumque vovi, reddam pro salute Domino. 11. Et dixit Dominus pisci: et evomuit Jonam in aridam,

Vers. 1.

1. ET PRÆPARAVIT DOMINUS PISCEN. — *g. d.* Fecit Deus ut piscis quasi satelles sue vindictæ, regne ac clementiæ præsto adesset juxta navim, qui Jonam exciperet et devoraret ut vindex, et servaret ut custos. Jonas ergo non diu natans, sed statim egressus in piscem, egressus ventrem, regne ac Christus ex cruce illicio in sepulchrum descendit, inquit S. Augustinus *epist. 49*, in fine. Hinc Septuaginta vertunt: *Et præcepit Deus ceto magno, et decoravit Jonam.* Hebræi enim præceptum vocant omnem ordinationem, dispositionem, providentiam. Pulchre S. Chrysostomus in psal. *xcvi Dominus regnavit, etc.*, docet feras et belluas Deo et Sanctis servire, quodque Jonas existens in ventre ceti cum gubernabat, ut pergeret, non quo ipse, sed quo Jonas volebat, scilicet in aridam, vers. 11. « Sic, ait, Jonas cetus triduo subjugalis fuit, et quo intus gubernans, non quo ipse volebat ducens: quis pastor ita agnas suas placavit, ut Daniel efferos leones? quis rex tam pernicies Indos habet, quam Elias corvos? quis discipulum absque murmure ita hospitalitatem exercere docuit, ut Jonas cetum in mari? quorum armorum exercitus regem suum ita illesum servavit, et alienigenas ab impetu coercuit, ut Chaldaicus caminus Chaldeos cives urbis excussit, et Hebræos servavit? »

CETUS PISCEN GRANDEM. — Septuaginta, quos sequitur *Math. cap. xii, 40, cetum* (1). Nota, ceti nomen commune est ad balænas, physeteres, orcas, pristias, lamias, thinnos, omnesque pisces prægrandes et cetaceos. Cetus enim, ut ex Aristotele docet Aldrovandus lib. III *De Piscibus*, cap. xxxi, proprie vocatur omne genus piscium, quod absque ovificatione vivos excludit fœtus, et vere respirat vero respirationis instrumento, pulmone, inquam, præditum, imo a Galeno et vulgo quilibet pisces prægrandes cetus consentitur: non quod ceti sint, sed quod ad eorum magnitudinem exerescant. Unde licet carcharias, de quo mox, pulmonem non habeat, atque ova intra se concipiat, sed ita ut ea intra se vivificet, vivosque fœtus excludat, a Galeno tamen, Aliano et Oppiano inter cete recensetur.

Licet ergo vulgus putet piscem hunc qui glutivit Jonam fuisse balænam, negant tamen id Rondeletius, lib. XIII *De Piscibus*, cap. xii, et Ulysses Aldrovandus, lib. III *De Piscibus*, cap. xxxi, et ex his Pineda, lib. IV *De Rebus Saloni*, cap. xii, a Castro hic et alii, eo quod balæna arctior sit gutture et ventriculo, nec facile hominem integrum et illesum glutire et continere possit. Quod intellige

(1) Evangeliste referendo Salvatoris nostri verba, que ad eventum ipsum et ad typicum ejus characterem attinent, eandem vocem cete usurpant. Neque tamen ideo sequitur Evangelistas in animo habuisse sanctionem suam hujus interpretationis conferre: cum enim Septuaginta verso communitur in usu esset apud suam gentem, illam ipsam inmediateam citabant, quotiescumque ab originali textu deviatu nullæ graves consequentiæ involverebat.

de parvis et communibus balænis; nam majores sunt instar montium, que facile homines et boves integros glutiant. Censent ergo ipsi piscem ad hunc fuisse illum, qui Carcharias, et Canis, atque ab Italis et Nicandro alisque vocatur *lamia*, qui ingens est, voracissimus et anthropophagus, rictumque oris et guttur habet immane, prout ea depingit, et in imagine spectanda exhibet Aldrovandus, lib. III *De Piscibus*, cap. xxxii, pag. 381. Carcharias enim, sive Canis, est galeonum omnium maximus, magnitudine thinnos ipsos vincens, et in tantum aliquando excessens, ad Rondeletius, ut curru impositus, vix a duobus equis vehi possit; quare evisceratus et in frusta dissectus, duobus aliquando curribus imponendus fuit. Addit Rondeletius vidisse se medicorem, qui mille libras ponderabat: Nicenses vero sibi testatos esse refert Gillius, sese isthmodi piscem ad quatuor millia librarum accedentem cepisse, et in ejusdem ventre solidum hominem reperisse; simileque quid Massilienses sibi narrasse, comprehensisse, inquam, se Canem, in quo locitatum hominem invenissent. Vidit insuper Rondeletius in Santonico littore alium, cuius os et gula tanta erant vastitate, ut hominem etiam obesum commode capere potuissent; imo vero si os canis marini ita hians conservetur, relicto corpore tacto, canes terrestres illud ingredi, et ventriculum subire ut piscium reliquias devorent (2). Hæc de causa carcharias a nonnullis vo-

(2) Carcharias in mari Mediterraneo ubi Jonas fuit, haud raro homines deglutit: sic narrat D. Muller, nauticum quendam anno 1759 in mare Mediterraneum lapsam, illico vasto oris hiatus carcharias fuisse exceptum, hoc vero monstrum tacto tormenti belliei mox percussum, deglutitum nauticum, modice lasum evomisse. Carcharias deinde capta fuit, atque decem cubitos longitudinis et quatuor latitudinis habebat. Quam palea impletam nauticus isto per urbes ostentabat.

Foras iste piscis unum erat ex monstris marinis maximis mollis, quod ita describit *diarium Americanum* (vide *Annales de Philosophie chrétienne*, III, p. 306): « On a découvert dans la Louisiane, sur les bords du Mississipi, les os d'un animal colossal; l'épine dorsale avait 16 pouces de diamètre, et les côtes 9 pieds de long; plusieurs débris avaient chacun 30 pieds de long, et pesaient plus de 120 livres. On estime, d'après les dimensions de ces os, que l'animal vivant devait avoir environ 50 pieds de longueur, 20 à 25 de largeur, environ 30 pieds de hauteur, et qu'il a dû peser au moins 20 tonneaux, ou 20,000 kilogrammes. C'est, dit-on, la plus grande curiosité naturelle qu'on ait découverte jusqu'ici; et cet animal, pour la dimension, doit avoir surpassé le Mammoth (que Blumenbach appelle *Elephas primigenius*). »

Recentior Calmeti editor, in dissertatione serie que magis ingenio quam solidis argumentis præstant, inquit William Carpenter, *Scriphure hist. nat. part. III, sect. IV*, ad probandum incubuit fluctantem salvatorem in lacum viventis animalis, a sacro scriptore fuisse intentum. Juxta eum interpretatio regulas sic locum legendus: *Præparavit Dominus dag (salvatore) grandem*, ut reciperet Jonam, et fuit in interiora parte (ventre aut capacitatis) hujus *dagah, tribus diebus, et tribus noctibus; et postea in litibus emissus est. Que interpretatio hæc sane admittenda.*

ceatur lamia *παρὰ τὸν λαμῶν*, id est a gula et gutture, eo quod magnum et quasi immane guttur habeat, sicut voracissimus. A qua ingluvie similiter lamie vocantur malefica ille, que pueros et juvenes ad se sua forma alliciunt, allectosque devorant; quod, ut aiunt, Menippo Lucio configisset, nisi gravidus et prudens viri consilium ab amore juvenem deterruisset dicendo, *ἔγω βλάπτω καὶ οὐ ζῶω*, id est *serpentem foves, et te serpens*, quod percommode de eo dicitur, qui id amat, fovet, amplectitur, quod tandem certum et exitium est allaturum, uti non raro amasis contingit. Hæc Rondeletius et Aldrovandus, qui proinde opinantur piscem qui Jonam devoravit, fuisse carchariam sive lamiam; qui licet proprie non sit cetus, cetum tamen dici ea phrasi qua quisvis vastus et immanis piscis vocatur *cetus*. In eo tamen dissentit Aldrovandus a Rondeletio, quod Rondeletius existit lamiam hanc eandem esse cum lamia Aristotelis, lib. V *Histor. Animalium*, cap. v, et Pinnii, lib. IX, cap. xxiv; Aldrovandus vero id negat, eo quod lamiam Aristoteles et Plinius ponant planam, et planis piscibus cartilagineis annumerent, qualis non est lamia hæc vasta et immanis, que ab Aristotele *ζῶον*, id est *canis*, nuncupatur, a Theophrasto, lib. IV *Histor. Plant.* cap. vii, Columella et aliis vocatur carcharias, quod voracissimus impudensque sit fur, quodque dentibus plurimum valeat, eosque acutos et pedinatos habeat; *καρχαρία* enim acutum asperumque significat: unde *καρχαρία* anima-lia, quibus acuti pedinatimque conjuncti dentes sunt, Aristotelem nuncupantur. Vere S. Augustinus, *epist. 49*, Quest. VI, agens de ore ceti, qui deglutivit Jonam: « Quis, ait, non conjiciat quanto hiatus patebat os illud, quod velut janua speluncæ illius fuit? » Vide ibidem Augustinum hanc Jonæ historiam defendentem contra Porphyrium, eam ut fabulosam irridentem.

Allegorice S. Ambrosius, in *Psalm. xliii*: Jonas, ait, est Christus, « qui propterea missus est in mare, ut exciperetur et devoraretur a celo, quo intra alvum ceti positus ejus interiora vacuaret, de quo ceto hoc dictum sit, audi Job dicentem cap. iii: Qui habet, inquit, magnum cetum captivum reddere. Quis iste est? utique cognoscis, cum legis quod Dominus noster Jesus Christus captivum duxerit captivitatem; devicto enim adversario et inimico, nos qui captivi eramus, occipimus libertatem possidere per Christum. »

Symbolice S. Hieronymus ad Heliodorum, in *Epistola Nepotiani*, hæc accomodat morti, que fideles absorbet quidem, sed instar Jonæ quasi vivos retinet, ob spem resurrectionis, qua brevi redituri surgent. « Devorasti, inquit, Jonam, sed in utero tuo vivus fuit, » juxta illud *Osee xiii, 14*: « Ero mors tua, o mors. » Denique miraculum hoc devorationsis et ejectionis Jonæ factum est non tam propter Jonam, quam propter Ninivitas, et illi per hoc miraculum Jonæ credentem alle-

gorice propter Christum et Christianos, de quo plura cap. iii, 5.

ET ERAT JONAS IN VENTRE PISCIS. — Multa hic miracula: *Primum*, quod venter piscis calidissimus Jonam non consumperit et in chylum converterit; *secundum*, quod Jonas ibidem vivere et respirare, aeremque frigidum atrahere potuerit; *tertium*, quod odor, qui in ventre ceti est odidissimus et intolerabilis, Jonam non exanimavit, qui potius ipse cum commode fulerit; *quartum*, quod in hoc angustissimo et incommodissimo carcere, non tantum anima, sed et mentis compos fuerit, spiritulque Dei afflatus insignis et pium carmen Deo cecinerit. Dei ergo hoc fuit opus, qui simili modo conclusum in materno ventre fœtum, tot mensibus sine cibo aut potu, sine egestionis, sine frigide respirationis usu continet. Ita Theophrastus, quem rem licet frequentem merito admirans David: « In te, inquit, projectus sum ex utero: de ventre matris meæ Deus meus est tu, » *Psalm. xxi, 11*. Qui ergo tres pueros in fornace Babilonia illesos, idem Jonam in ventre ceti intactum servavit. Ita S. Hieronymus (1).

Quatuor miracula Jonæ in cetis.

(1) Ista extraordinaria Jonæ a morte salvationis narratio amplam incredulorum cavillationibus, philosophorumque et criticorum speculationibus materiam prebit. Hujus facti veritati historice opponunt, primo, silentium historie profane de illa extraordinaria et miraculosa commoratione Jonæ in ventre piscis; *secundo*, quod finis tanti miraculi Deo dignus haud perspiciatur; *tertio*, quod Jonas in calido ventre istius piscis tempore trium dierum ac noctium consumi, et defectu puri aeris suffocari debuisset.

Respondemus, ad *primum*: Historici profani multa alia facta miraculosa Librorum sacrorum non commemorant, quin adeo quis ad eorum falsitatem historicam concludat. Antiqui pagani nullam ferè communicationem cum parva natione Judæa habebant; quare mirum non est eos multa facta Judæis propria ignorasse. Cum insuper Judæos contemnerent, odique haberent, mirum non esset, si nequidem facta aliqua particularia, que necesse habet, sive ex contemptu et odio, sive ex incredulitate haud retulissent. Usque hæc Janssenus (*Herm. Sacr.*). Sed melius cum William Carpenter negandum historiam profanam de illo miraculo silere, valdeque miram est rei istius tam late percrebuisse famam, et animos ita attentos detinuisse, ut inter panca que nobis remanent antiquorum temporum fragmenta, parvula hæc historia ab ipsis confirmationem quam plurime alia ingentioris extensionis et momenti recipiat. Factum ipsum a paganis servatum est et Alcibiæ attributum. Aneas Gazæus eundem eventum memorans, quem Alcibiæ quoque refert, eandem vocem *ζῆτος, cete*, a Septuaginta et S. Matthæo usurpata videtur. Quod autem Hercules in locum Jonæ substituat, id nullam merito admirationem movet, cum agnoscat ipse Tacitus, ut clarissimus hujus viri fama promoveretur, non dubitasse veteres ipsi ascribere quidquid in historia extraordinarium et nobis occurrit, cum legitima laus debeatur, non curantes. (Vide infra Cornelium.)

Ad *secundum*, multorum aliorum miraculorum Veteris Foderis finis pariter non perspicitur, nisi ideo negantur? Interim finis miraculi Jonæ Deo dignus est punitio commensura Jonæ et conversio Ninivitarum. Hi audio hoc miraculo fœdulus profecto conversi fuerunt.

Ex Jona Gentiles videntur sumpsisse fabulam sui Herculis. Finxerunt enim quod Hercules a balena sit devoratus, et ex ea incolunt redierit, nisi quod depilatus fuerit ob internam belluæ caliditatem. Ita Theophylactus. Et Lycophron, in tragœdia Herculis, tradit Herculeum, cum rediret ex Colchide cum Argonautis, invento vellere aereo, tempestatem passum, et in mare lapsam a pisce devoratum fuisse, ac post triduum salvum ex eo in mare projectum. Arbitror eum hoc ex Josepho, lib. IX *Antiq.* XI, sumpsisse, qui scribit Jonam a ceto evomitum in Ponto Euxino. Hoc enim videtur Lycophron ad Herculis personam transulisse: nam navigatio Argonautarum fuit in Ponto Euxino. Ita Salmeron, tom. VIII, tract. 17.

Allegorie Jo-
nas est
Christus.
Allegorie Theophylactus: Jonas est Christus, navis synagoga Judæorum, navarchus Moses, nauæ Propheta, mare afflictiones nostris peccatis debite, sors voluntas Patris æterni, venter ceti sunt secreta mortis, sepulcri et inferni, in quibus triduo fuit Christus, et post triduum inde resurgens genitibus penitentiam et Evangelium salutis annuntiavit per Apostolos; tunc venti, id est inspirationes et tentationes validissime demonom, sedati sunt; procellæ voluptatum maris, id est seculi hujus, prostratæ sunt; pax et tranquillitas corporibus æque ac animis fidelium reddita, dicente Christo: « Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. » Hinc et Jonas hebraice idem est quod columba, vel *q. d.* יונה יונה *Yona Yona*, id est Deus laborans.

TRIBUS DIEBUS. — Causas hujus ternarii assignavi Ossee VI, 3 (1).

2. ET ORAVIT JONAS AD DOMINUM. — Angustie Jonam ad Deum redire eumque invocare compulerunt. Ita Deus suos redigit ad arcta, ut eum invocent, et invocantibus illico adest et opitulatur. Vulgo dicitur: « Qui nescit orare, eat ad mare; » qui enim in eo navigant, dum non nisi cœlum et pontum vident, ventosque et fluctus qui ad sidera videntur elevari, et mox in abyssum subsidere, ut videantur jamjam mergendi, et ad ima maris descensuri, illico discunt opem numinis et cœlum omnium implorare. Præclare Nysseus

Ad tertium, diffidit non fuit Deus conservare Jonam incolentem in ventre istius piscis, quam servare illos tres juvenes in ardente fornace Babylonis, atque conservare infantes novem mensibus in sinu matrum. Qui de infantibus in sinu matrum ventibus ac crescentibus nihil unquam audisset, ratiocinaretur ut illi qui ob istam difficultatem moram Jone in ventre piscis negant. (Janssens). De hujus facti naturali possibilitate vide D. Calmeti *Dissert. de pisce qui Jonam deglutivit*.

(1) Observandum cum eodem D. Calmeto ex usu loquendi Hebræorum ratiocinatio: Textus verba nequaquam nos asserere cogunt, Prophetam tribus diebus, totidemque noctibus integris in ceti ventre fuisse. Sufficit tres dies et tres noctes, sicut in Christi sepultura synecdochice, id est partem pro toto capiendi intelligere, ita ut Jona uno die, et reliquorum duorum parte in ventre piscis fuerit. »

in *Exposit. Orat. Domini*: Oratio Jone, inquit, cetum domum effecit, ut in ventre ceti commode quasi in domo degeret, et areret (2).

Miratur Tertullianus, lib. *De Oratione*, cap. XIV: « Quomodo, ait, oratio Jone de ventre ceti per tante bestie viscera, ab ipsi abyssis, per tantam æquoris molem ad cœlum potuit evadere? » Hæc nimirum est vis orationis, hæc vis Dei, qui ubique presens audit supplicium preces.

3. ET DIXIT. — Est hoc Jone carmen lyricum, inquit Arias, tricolon tetrastraphon, simile illi Horatiano, lib. I, *ode xxxvi*:

Et thure et fidiis juvat
Placare, et vitulos sanguine debito
Custodes Numide deos.

Nisi quod quartus versus brevior est in hunc modum:

Angustis nihil mihi rebus,
Te Domine carmine supplicii
Imis de barathris voco, et
Audies vocem.

CLAMAVI DE TRIBULATIONE MEA. — Jonas cum proijceretur in mare, tanto sui periculo excitatus illico cepit orare, et clamare saltem mente ad Dominum; sed statim devoratus a ceto, vidensque se in ejus ventre, multo magis clamare perrexit. Unde S. Hieronymus ait quod Jonas « ex quo in mare præcipitatus vidit cetum, et tantam corporis molem, et immanes rictus aperlo se ore sorsbere, Domini recordatus sit et clamaverit. » Fabulatur hic more suo R. Salomon, in Jonas primo devoratum a ceto mare, et quia ibi satis ample et laxè degebat, non clamasse ad Dominum; Deum ergo jussisse ceto masculo ut Jonam evo-meret in cetum feminam, puta in balenam fetu plenam et gravidam, in qua cum Jona arctari se sentiret, cœperit clamare. Probat id ipsum, quia vers. 4, piscis hic vocatur masculine דג *dag*: ergo erat cetus mas, versu vero 3, ubi dicitur: « Et oravit Jona ad Dominum Deum suum de ventre piscis, » hebraice est femininum דגה *daga*, id est piscis femina. Verum errat fabulo: nam unum

(2) H. Bodin (*Les Livres prophétiques traduits en français*) ex Vulgata versione, *flumen circumdedit me*; ex Septuaginta, περιεβη δὲ ἕλκυστος ἡς; et ex paraphrasi chablica, *flumen cum circumquante me circumdedit*, iudicatur ad credendum Jonam non longe a Syris littore in mare projectum fuisse ad fluminis vel torrentis eujusmodi ostium: quod probat primo, ex eo quod juxta textum, statim ut navem ascenderit Jona, tempestas exorta sit, vers. 3, 4; secundo, ex eo quod vers. 6, hebræum potest verti, *alga capiti suo alligata est*, porro alga vel juncus in isto mari non nascitur, bene vero ad fauces fluminum que in illud influunt; tertio, quia et Joppe ad Tharsen ascendendo Septentrionem versus, non longe a Joppe plura reperuntur flumina que in mare Mediterraneum influunt; quarto, ex eo quod Orientales qui fideliter portunturum traditionem servant, narrat Jonam, duarum leucarum ab Antipatriæ intervallo, in mare projectum fuisse, quod proxime accedit sententiæ supra expositæ.

et eundem fuisse piscem qui sorbit Jonam, et in quo Jona clamavit, et qui eum post orationem evomit, patet ex vers. ult., ubi piscis evomens Jonam in litus vocatur *dag* masculine, non *daga* feminine. *Dag* ergo piscem tam feminam, quam marem significat; perinde ut latine voces piscis, avis, ovis, camelus, equus, asinus, bos, vitulus, etc., tam feminam quam marem significant: sic vicissim femininum *daga* quoslibet pisces, tam mares quam feminas significat, ut patet *Isaie* I, 2; *Nam.* XI, 3; *Ezech.* XXIX, 4; *Genes.* I, 26; *Exodi* VII, 20; *Ezech.* XLVII, 9. Sic latine voces simia, mustela, vulpes, aquila, pica, columba, etc., licet femine sint, tamen tam mares, quam feminas suas species significant.

Tropologie S. Gregorius, in Psal. VI *Pœnit. De profundis clamavi ad te, Domine*: « Clamavi, inquit, Jona ad Deum de ventre ceti, de altitudine maris, de profundo inobediencie; et ad aures Dei oratio illius pervenit, qui cum eruit a fluctibus, eripuit a bestia, absolvit a culpa. Clamavit et peccator, quem a Deo recedentem cupiditatum tempestas contrivit, quem malignus hostis absorbit, quem presentis seculi fluctus involvit, agnoscat se esse in profundo, ut ad Deum sua perveniat oratio. »

ET EXAUDIVIT ME. — Nota: Jona missus in mare oransque Dominum, illico sensit presentem ejus opem, qua a mari, æque ac a ceto illæsus servabatur in ejus ventre. Unde ex instinctu Dei certus de sua salute, gratias agit Deo, carmenque hoc magis eucharisticum, quam eucheticum canit Deo liberatori (1).

DE VENTRE INFERI. — puta de ventre ceti, quem hyperbolice vocat *infernum*, ob magnitudinem, profunditatem et obscuritatem.

4. IN CORDE MARIS. — in medio, sive profundissimo mari; illud enim amant et incolunt ceti, utpote vastissimi: quod enim est in animali cor, hoc in mari est profunditas, in terra centrum. Unde Christus, *Matth.* XII, 40, post mortem dicitur fuisse tribus diebus in corde terre, id est in limbo Patrum, qui est circa infernum et circa centrum mundi. Ita S. Hieronymus. « Sicut cor, inquit, in medio est animalis, ita infernus in medio terræ esse perhibetur. »

FLUMEN. — Septuaginta, *flumina*, non quod cetus hic per flumen aliquod in mare influens transierit, cuius influentis sonitum in ventre ceti audierit Jona, ut Arias et alii alii volunt; sed *flumina* vocat ipsos fluctus et aquarum affluentiam: ceto enim jam in mare se immergente, jam emergente, copia aquarum instar fluminum resonant.

(1) Oratio, quam lecturi sumus, inquit Calmetus, concepta, et quod substantiam in ventre piscis composita fuit; verum liquet nequaquam prolata fuisse verba tempore eodem. Propheta liberatus scriptis edidit orationem suam, et ex ea quoddam veluti canticum effinxit, ubi narrat miraculum quod subierat, et sensus quos in eo periculo conceperat.

tium undique in mare influebat, audiente Jona, inquit Theophylactus, Albertus et a Castro. Ipse enim cursus et fluctus aquarum subinde vocatur *flumen*, ut apud Martialem lib. I:

Et qui prima bibit deprensæ flumina Nil.

Alli per flumen accipiunt mare, ut sit misos. Sic Aristoteles in *Meteor.* nubes vocat flumen aereum, sive oceanum per aera fluentem.

Nota: Hoc Jone carmen valde affine est verbis et sententiis psalmi LXVIII Davidis, et ex eo bona ex parte depromptum videtur. Quod enim ibi dicitur, vers. 4: « Laboravi clamans; » Jona ait: « Clamavi de tribulatione mea. » Ibi, vers. 3, dicitur: « Infusus sum in limo profundi: et non est substantia, » Jona ait: « Projeci me in profundum in corde maris. » Ibi, vers. 3, dicitur: « Veni in altitudinem maris: et tempestas demersit me; » Jona ait: « Omnes gurgites tui et fluctus tui super me transierunt, » quem versus mutatus est ex psalmo XII, 8, Ibi David dicit vers. 2: « Salvum me fac, Deus: quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. » Hic Jona ait: « Circumderunt me aquæ usque ad animam, abyssus vallavit me. » Quocirca tam David quam Jona typum gessit Christi patientis, ejusque angustias, preces, vota et genitius in se expressit.

OMNES GURGITES TUI. — Pagninus: *Omnes undæ tuæ*; Septuaginta, *Omnes elevationes tuæ*; Hebræi, מִשְׁבָּרֵיךָ *misbarecha*, id est *omnes contritiones tuæ*, puta omnes fluctus tui, qui naves et homines in iis navigantes conterunt et confringunt. Accipe commode et *omnes*, scilicet quos tu, o Domine, hic propter me excitasti; alios enim alibi excitatos non sentiebat Jona.

5. EGO DIXI: ABIECTUS SUM. — *q. d.* In tam miserabili statu constitutus, videbar mihi inchoa a te derelictus, depositus et perditus: et tunc per revelationem quam mihi suggeris, nimirum quod ex alvo ceti brevi in terram salvus evadam, in spem certam erectus, animos resumo, tibi gratias quantas mens mea capere nunc potest, ago, majoresque agam in templo Hierosolymitano, ad quod me iterum ejus rei gratia destino et voveo. Ita S. Hieronymus, Remigius, Hugo et Clarus. Minus recte Arias et Vatablus per templum accipiunt cœlum; hoc enim analogicum est, non literale: nec enim Jona putabat se moriturum et per mortem iturum in cœlum, utpote qui certus eras se salvum exiturum e ventre ceti; unde non dubium est eum in Judeam rediisse et templum visisse, ut in eo Deo gratias ageret pro tam miraculosa liberatione, voluque a se in ventre ceti nuncupata persolveret.

6. CIRCUMDEDERUNT ME AQVE USQUE AD ANIMAM. — Vers. 6. Septuaginta: *Circumfusa est mihi aqua usque ad animam, q. d.* Aquæ me ita undique circumdabant, ut viderentur penetraturæ totum corpus meum et pervasuræ per oculos et nares in caput, per os in stomachum omniaque intestina, per

poros in singula membra, illa ut viderentur perventure usque ad ipsam animam, eamque mersura et oppressura, nisi Deus eas cohibuisset, animamque meam servasset: cetus enim assidue hauriebat aquas, eisque implebat stomachum, quae Jonam in eo degentem undique circumdabant, et tantum non submergebant. Unde Vatablus exponit, « usque ad animam, » id est usque ad separationem animae, id est usque ad mortem, ut vertit Chaldaeus, q. d. Periclitatus sum extremo de vita, cum essem in aquis maris: putabam enim me aquis vel mergendum, vel certe suffocandum, utpote aere ad respirandum necessario privatus in ventre ceti calidissimo, et aquis oppleto.

ABYSSUS VALLAVIT ME. — Pagninus: *Vovogo circumdedit me. Abyssus enim vocatur aqua carens fundo, id est vastissima et profundissima, quale est mare. Idem dicit, et aquarum circumdantium vastitatem aliis aliisque exaggerat. Alter a Castro: Abyssus, inquit, est maris profundum, puta fundus, q. d. Usque ad maris pavimentum dimisit me. Verum hebraeus תהום teloh proprie significat non fundum, sed abyssum jam dictam.*

PELAGUS OPERUIT CAPUT. — Pro pelagus hebraice est סוף suph, quod proprie significat finem et terminum; inde junco, caricem, arundinem, algam quae in extremitate maris et fluminum nasci solet, et quia his abundat mare Rubrum, quod simul est terminus tum maris, tum Aegypti et Arabiae, hinc illud hebraice vocatur mare suph. Ex triplici hoc significato triplex nascitur versio. *Primo: Fuis colligatus erat capiti meo, id est mors et exitum imminet capiti meo. Secunda: Alga alligata erat capiti meo, ita Pagninus; vel: Coracem inspicitum erat capiti meo, ita Tigurina; vel: Junctum erat fascia capiti meo. Ita alii, q. d. Cetus me secum implicabat juncis et calamis qui in summo, et algis quae in imo maris nascuntur; aut cetus devorabat algam, quae descendens in ejus stomachum, me caputque meum implicabat. Plinius enim, lib. XIII, cap. XXV, docet in mari non tantum esse fructices et arbores, sed et prata ac sylvas. Tercio, Rabbini vertunt: Mare Rubrum inspicitum caput meum. Unde censent ipsi Jonam, qui in Joppe devoratus fuit a celo, ab eo vectum et ejectionem fuisse in mari Rubro, ad hoc ut Jonas vinctior esset Ninive, ad quam mittebatur a Deo.*

Audi R. Salomonem: « Ostensum est Prophetae mare caricosum, et quomodo transisset Israelite per medium ejus. Erant enim pisces illi septem oculi, qui Jonæ totidem fenestrarum usum praeberant, et per illos contemplabatur et videbat quicquid erat in mari. » Voluit enim Deus Jonam afflictum et pene desperantem hac ratione consolari, et in certam opes Dei spem erigere. Verum haec est fabula: sic enim cetus spatio tridui (quo Jonas fuit in ejus ventre) debuisset tranare totum mare Mediterraneum, a Joppe usque ad Gades, inde circuire totam Africam; inde promontorium Boiae Spei, inde Mozambicam, Guileam, Meli-

dme, Zocotoram; ac tandem tendere Adenum, ubi incipit sinus Arabicus, sive mare Rubrum, quod est iter dimidii anni et amplius. Respondet P. Pineda, qui sententiam Rabbini sequitur, et multis conjecturis tuetur, lib. IV De Rebus Salom. cap. XII, pisces caricarias, sive tuberoles esse velocissimos. Verum nulla velocitas est tanta, quae tantum iter tridui conficiat. Dico ergo mare Pheneticum et Tyrium, quod est juxta Joppen, vocari mare suph, id est Rubrum sive Erythraeum, quia Phoenices ipsi dicebantur Erythraei, eo quod orti et prognati essent ab accolis maris Rubri, ut dixi Isaie XXIII, 16. Imo vox Phoenices non aliud significat quam rubros, ait Strabo. Adde, juxta secundam expositionem, quae suph idem est quod alga, junco, caricem, metonymice quodvis mare finitum et limitatum vocari suph, quia est, algosum, juncosum, caricosum, et quia est finitum: suph enim finem significat. Ita Pineda, lib. III De Rebus Salomonis, cap. X, et alii. Unde Chaldaeus vertit: Mare caricosum suspensum erat capiti meo.

Porro pro operuit hebraice est חָסַף chasuf, quod duo significat: primo, alligatum est, et sic proprie competit algae vel junco; secundo, insipitum est, et sic competit proprie pelago. Unde Noster recte sensum expressit, dum vertit: « Pelagus operuit caput meum, » q. d. Sub undis versor, unde undique me tegunt et operiunt; nec tantum undae, sed et ipse pontus quantus quantus est, ipsum pelagus vastum et quasi impensum capiti meo impendit, illudque tegit et operiunt.

7. AD EXTREMA MONTIUM DESCENDI. — hebraice Vers. 7. בקעבי behitsbe, id est ad fissuras, vel incisuras montium: ita Septuaginta et Tigurina, id est ad extrema, ad fines montium. Ita Noster, Pagninus et Vatablus. Fissure enim montium sunt fines et extrema montium, quae in mari promontoria vocantur, q. d. Cetus hic natando vexit et duxit me ad rupes, montes et promontoria, eorumque fissuras et cavernas. Loca enim montosa ambiunt ceti, ibique fere morantur, quia ibi mare est profundius: ita Theodoretus, Theophylactus et Vatablus; litus enim Joppe (unde Jonas solvebat) ex utroque latere habet prominentes rupes saxaque ingentia, quae, cum de imo mari surgant, in mare excurrunt tamen, ait Hegestippus lib. III Ercid. Hierosol. cap. XX. Hic ergo Jonas projectus in mare descendit in abyssum, ex qua erumpit scopuli jam dicti, qui naufrago omnem evadendi viam praecidunt, illique vocantur hic a Jona « extrema montium, » sive rupium, ac mox « vetes, » sive repagula, tum maris quod claudunt et quasi observant, tum hominum, ne enatare et in terram ac libertatem exire possint. Ita Sanchez.

TERRAE VECTES CONCLUSERUNT ME IN AETERNUM. — Quae paulo ante vocavit « extrema montium, » hic vocat « vetes terre; » hisce enim rupibus, montibus et cavernis, velut vectibus concluditur

Jonas, ne e celo et mari emergere posset in aeternum, nisi sollicit Dei potentia inde per miraculum eum eduxisset. Unde Septuaginta vertunt: *Intrauit caput meum in scissuras montium, descendit in terram cujus vetes retinacula sempiterna.* Eo quod descendit Jonas; eo unde Dei ope ascendit. Hic verum est istud: abyssus mei casus, descensus, miserie, abyssus tua, o Domine, sublimitatis, celsitudinis, potentiae, misericordiae et gloriae invocet. Idem dicit qui tribulationibus premitur et pene obruitur. Quis enim major est tribulatio, eo vincitur est Deus ad liberandum si invocetur, juxta illud Psalms: « Tibi derelictus est pauper. » Sic regularium claustra, ait Sanchez, quae secularibus videntur esse carceres mortis, religiosi perugium sunt et portus, in quibus ipsi quasi in aera Noe securi, seculares in aestu ac salo naufragantes aspiciunt.

ET SUBLEVABIS. — q. d. Licet ego in abyssum descenderim ibi corruptendus et moriturus, tu tamen, Domine, inde me educes et liberabis, faucesque me moriar, sed salvus exurgam.

Allegorie haec omnia adaptari per facile est. Ita S. Hieronymus.

Vers. 8. 8. CUM ANGSTIABERETUR IN ME ANIMA MEA. — Chaldaeus: *Cum deliquo laboraret in me anima mea.* Videtur ergo Jonas angor et angustia tanta fuisse, ut eum ad animae deliquium deduxerit.

Allegorie Jonas, ait S. Hieronymus, representat hic angustias et orationem Christi in horto, dum diceret: « Tristis est anima mea usque ad mortem: Pater, si possibile est, transeat a me calix iste. »

UT VENIAT AD TE ORATIO MEA AD TEMPLUM SANCTUM TUUM. — in caelum, q. d. Admisisti orationem meam ad te in caelum, eam exandisti; unde et me liberasti.

Vers. 9. 9. QUI CUSTODIUNT VANITATES FRUSTRA, MISERICORDIAM DERELINQUUNT. — Primo, Arias et alii alii pro הַבְּלִי habli, id est veritates, legentes הַבְּלִי chable, id est fines, ac חֶסֶד Chesed, quod Noster vertit misericordiam, vertentes pietatem (utrumque enim significat), id est impietatem, per antiphrasin, sic transferunt, qui custodiunt fines vanitatis, pietatem suam sacrilegam derelinquunt, quod sic exponit, q. d. Nauta et Ninivite alicui gentiles colentes vana idola, ubi intellexerint miraculum hoc Dei Hebraeorum, quo me e celo liberaverit, relinquunt suam impietatem et idololatram, colentque Deum verum Jonæ et Hebraeorum.

Secundo, Theodoretus exponit, q. d. Nauta idololatra, misericordia sua obtuli, me in mare projectum. Verum ex dictis cap. I, liquet nautas fuisse pios et misericordes in Jonam, eumque invitos et non nisi jubente Deo et Jona misisse in mare.

Tercio, S. Hieronymus, Rupertus et Vatablus, q. d. Qui custodiunt vanitates, id est qui colunt idola, « misericordiam, » id est Deum a quo mis-

ericordiam et omne bonum expectare debent, a se averunt, mortemque et omne malum sibi conciliant. Unde generaliter idem per vanitates accipiunt vana et illicita cupiditates, quae nihil habent veræ et solidæ voluptatis aut fructus, q. d. Peccatores qui vana suas cupidias quasi res pretiosissimas adamant et colunt (hoc enim innuit vox custodiunt), hi « misericordiam suam derelinquunt, » id est in se sunt immisericores et crudeles, quia mortem et exitum sibi accersunt. Hic sensus apud est et appositus: videtur enim generalis esse sententia et gnome, Unde S. Hieronymus: « Cerne, ait, magnanimitatem Prophete in profundo maris: in ventre tante bestiae aeterna nocte cooptus, non cogitat de periculo suo, sed de natura rerum generali sententia philosophatur: Misericordiam, inquit, suam derelinquunt. Licet offensa sit misericordia, quam nos possumus ipsum intelligere Deum (misericors enim et miserator Dominus, patiens et multe misericordiae), tamen eos qui custodiunt vanitates non relinquunt, non detestatur, sed expectat ut redeant. Illi vero stantem misericordiam, et ultra se offerentem, sponte propria derelinquunt. » Huc accedit P. Pineda, qui lib. VIII De Rebus Salom. cap. I, num. 29, sic explicat, q. d. Ab idolorum mendacium et vanissimum cultoribus nihil boni expectandum, quippe postulant beneficia a mortuis, et deserunt ipsum bonorum fontem et largiorem Deum.

Quarto, proprie et genuine alludit ad nautas suos infideles, eorumque sortes et idola: eos enim post missionem Jonæ in mare, et tempestatis cessationem agnoscente Deum Hebraeorum, ad eumque esse conversos ignorabat Jonas, agens in ventre ceti. Unde de his quasi in sua idololatia persistentibus ac similibus ait: « Qui custodiunt vanitates, misericordiam suam derelinquunt, » q. d. Nauta et vectores idololatrae qui colunt vana suas sortes et idola, liberati a tempestate et naufragio, ac misericordiam consecuti a Deo vero, illum non agnoscent, nec ei acceptam referent, aut gratias agent, sed ingrati in sua infidelitate et impietate persistent: unde gratiam et misericordiam Dei tum presentem, tum aeternam a se avertent. Ego vero jam ex Dei ope et revelatione certus de misericordia et liberatione mihi prestanda, eam agnosco, gratias ago Deo meo, ideoque mox ut liberatus fuero, et in patriam rediero, in voce laudis immolabo illi victimas pacificas, vota quae concepi illi reddam pleno mentis orisque jubilo: itaque eandem Dei misericordiam d. nova semper beneficia mihi conferenda tum in hac vita, tum in futura, alliciam et provocabo; prout nunc in ventre ceti eam invocans alexi et conciliavi: ita Hebraei (quos sequitur Emmanuel et Mariana), ex quibus alii sic vertunt: *Non custodiunt vanitates, non receduntur beneficiorum tanquam ingrati; et Chaldaeus qui vertit: Non instar gentium idololatrarum; quae quo loco conferatur*

illis beneficium nesciunt : et ego in laudem confessionis offeram oblationem meam coram te. Hinc rursum apte ex Hebræo verti potest : Qui custodiunt vanitates frustra, pietatem suam derelinquant, q. d. Qui suas sortes, sua idola, suas veneres frustra et in vanum colunt, hi impii et ingrati sunt in Deum, a quo vitam, spiritum omneque bonum accipiunt et accipiunt. Hunc sensum postulat antithesis Jonæ, quæ sequitur :

VERS. 10. 10. EGO AUTEM IN VOCE LAUDIS (id est laudando te) IMMOLABO TIBI, — q. d. Idololatræ obliviscuntur Dei, a quo tot bona percipiunt; et ego non obliviscar, sed eucharisticas preces et victimas illi offeram, atque quasi naufragus, et ex horribili naufragio ejectus, « vuida suspendam vestimenta (quasi anathemata) potenti maris Deo. »

PRO SALUTE DOMINO. — Ita et Septuaginta; verum Pagninus et Vatablus verunt, ipsa salus Domino, id est ad Dominum spectat, q. d. Nullus præter Dominum salvare potest, uti ipse solus in ventre ceti me servat et salvat.

VERS. 11. 11. ET DIXIT (mandavit, ordinavit) DOMINUS PISCI, ET EVOMUIT JONAM IN ARIDAM. — Consent nonnulli, ut Sulpitius lib. I *Hist. in Jonæ*, et insinuat S. Gregorius, lib. VI *Moral. cap. XII*, verbis citatis cap. 1, 3, cetum evomuisse Jonam ad littora Nive. Verum hoc repugnat chorographiæ, ex qua liquet Niven abesse a mari centum leucis et amplius. *Secundo*, Josephus, lib. IX *Antiq. XI*, et ex eo Clarus tradunt Jonam a ceto evomitum in Ponto Euxino, cui adiacet Constantinopolis. Verum et hoc incredibile videtur; nam spatium triduum quo Jonas fuit in ventre ceti, non potuit cetus tanta terrarum mariumque spatia peragere. A Joppe enim usque ad Pontum Euxinum, interjacet tota Asia Minor : debuisset ergo cetus transire totum mare Mediterraneum; inde omnes Cycladas; inde totum mare Ægeum, sive Archipelagum; inde Propontidem longam et anfractuosam; inde Bosphorum Thracium, ac sic ingredi Pontum Euxinum : quod iter nec tribus diebus, nec tribus septimanis, nec tribus mensibus confici potest. Longius abest a Joppe mare Rubrum, in quod ejectum Jonam Rabbini putant, sed falso, ut dixi vers. 6.

Dico ergo Jonam ejectum juxta Joppen (unde solvers) in littus Phœnicie et Syriæ, indeque terrestri itinere redisse in viciniam Judæam, adisque templum in Jerusalem, ibique gratias Deo egisse, et vota sua persolvisse. Hoc enim tantum beneficium et miraculum ante omnia fieri posebat. Rursus decebat eum ex terra sancta mitti et peregre in Niniven, non ex Ponto Euxino, ad hoc ut constaret eum esse prophetam Dei veri, cujus solium æque ac prophetæ erant in Jerusalem. Adde, ex Judæa in Niniven facilior et planior erat via; sola enim Mesopotamia interjacet transanda erat; hæc autem plana est : ex Ponto vero Euxino transeundi erant montes ardui Armeniæ et Amanus, estque iter trecentarum leu-

carum usque ad Niniven. Ita Mariana et alii Allegorice, Jonas absorptus a ceto, et tertio die sibi et terræ redditus, expressus quam illus propheta, non verbo, sed facto representavit passionem et resurrectionem Christi. Quocirca Christus eandem probat et confirmat ex hoc Jonæ oraculo, *Matth. XII, 40*. Unde S. Hieronymus : « Quod autem, inquit, scribitur : Evomuit, *ἔβρωσε* debemus accipere, quod ex imis vitalibus mortis victrix vita processerit. »

Audi S. Augustinum singula adaptantem, lib. IV *De Symbolo ad Catech. cap. VI* : « Missus Jonas ad civitatem Niniven ut ejus finem prædicaret, missus est Christus a Patre ut finem mundi omnibus demonstraret. Fugit Jonas in Tharsis a facie Domini, fuga Jonæ velox transitus Christi, de quo dicit propheta : Exsultavit ut gigas ad currendam viam. Ascendit navem propheta fugiens, lignum Christus ascendit per mare hujus sæculi transiens, fruit tempestas magna in mari; perturbatio maris, perfidia Judæorum. Data est sors ut propheta fugitivus in mare mitteretur; sors data est super Christi vestimenta, ut unitas omni mundo prædicaretur. Projectus est e navi in mare Jonas, mors Christi in cordibus gentium collocata est. Suscepit est a bestia propheta custodiendus, non comendendus; audi hic ipsius vocem Christi per S. David : Non derelinques animam meam apud inferos, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. In ventre bestie marinæ positus oravit Jonas; sanctus in inferno Christus descendens mortuos suscitavit. Tertio die propheta littori incolatus est redditus, die tertia Christus de sepulchro surgens super coelos est exaltatus. Ad prædicationem Jonæ prophetae per penitentiam salvata est civitas, per Christi prædicationem sancta Jerusalem redempta est civitas. »

Eleganter quoque Eusebius Emisenus, hom. 2 *De Pascha*, pag. 261, vel quisquis est auctor; nam homilias istas non esse Eusebii Emiseni Syri satis liquet ex stylo, qui non syrum, sed latinum redolet phrasia, imo elegantiam. Baronius, in *Annot. ad Martyr. Rom.* die 16 novembris, opinatur esse Eucherii Lugdunensis; Bellarminus, lib. *De Script. Eccles.*, tribuit Fausto Regiensi, alii Cassario, alii Maximo Taurinensi; Galesinus in *Martyr.* notat. 24 april. ascribit Eusebio Gallo. Certe ex ipsis homiliis liquet auctorem fuisse Gallum ex monasterio Lirinensi, qui postea videtur creatus episcopus. Hic ergo auctor sic ait : « Jonas, iram Domini prædicaturus, ad magnam Ninivitarum destinatur urbem, dicturus : Post quadraginta dies, et Ninive subvertetur. Et Christus ad mundi militiam civitatem, ut diem salutis et prænitium iudicii tempus annuntiet. Jonas navem expetit, Christus Ecclesiam. Jonas fluctibus agitur, et Christus mundi turbibus exercetur. Nisi Jonas perditum detur, naufragæ navis periculum non sedatur; sic et non liberatur Ecclesia, nisi Christi morte salvetur. Nauta dimissuri Jonam,

tamen verentur et dicunt : Domine, ne des super nos sanguinem innocentem; nonne nobis videtur naufragum imprecatio, Pilati esse confessio, qui tradidit Christum, et tamen lavat manus suas, et dicit : Mundus ego sum a sanguine justis hujus. Quam congrue per personam gentilem fides gentium prædicatur! Dicit itaque Jonas in oratione sua : Tolle igitur, Domine, animam meam, quia melior est mihi mors, quam vita. Dicit hoc rebus Dominus noster Jesus Christus : Quia melior est mihi mors quam vita, id est, vivens unam Judæorum gentem utpote incredulam salvare non potui : moriar ut universus mundus una morte salvetur. » Cætera deinde accommodans ita prosequitur : « Jonas cetus piscis excepti immersum, sed non contigit devoratum, et quem malitia hominum perdidit, bestia esurians custodivit; plenus visceribus famem patitur, et in prædam quam absorbit nil sibi licere miratur. Quis est iste qui intrat avidos rictus assumi potest, consumi non potest? Cibus est, corruptio non est; traditur perditionis profundo, et servatur ipsius mortis obsequio. Quis est iste qui vastissimos sinus periculis tutus ingreditur, et sub altitudine conclusus immensa atque mortifera, vitali aere pascerit, et demissus in alienam terram naturam, in vite exilio cum vita peregrinatur, in absolute et servatione gentis unius, et in Deum reconciliatione reparandi sæculi gloriam naufragus præfert, et mortis sue superstes, annuntiat venturam mundi salutem? Puto quod hic est Dominus noster Jesus Christus, quem sæva mors inexplebilis bellua in escam rapuit, et prædam suam captiva contremuit; contremuit, inquam, nam, etsi noverat crucifixum, tamen quem non meminerat reum, non poterat tenere damnatum; quia culpam non facit poena, sed causa. Quasi solitum cibum perditum in mundi origine hominem devoravit; sed magnam esse cibi ipsius dignitatem præfocata cognovit. Atque ideo divinus sermo commemorat : Et præcepit Dominus pisci, et evomuit Jonam in aridam. Præcepit ergo bestie, præcepit morti semper esurienti, præcepit abyssis et inferno, ut mundo restituant Salvatorem. Evomuit autem hoc debemus accipere, quod ex imis visceribus mortis victrix vita remeaverit, atque eam ex imis præcordis inferni perditio exulcerata reddiderit. » Vide et Petrum Chrysologum Archiepiscopum Ravennatem, *serm. 37*, qui totus est de Jonæ et Christo.

Topologie S. Chrysostomus, homil. 25 *De amore proximi*, tom. IV, ex facta Jonæ docet prophetam, id est prædicatorem et virum apostolicum, non debere querere suum honorem, suam quietem, sua commoda, sed Dei gloriam et salutem animarum, cum suo incommodo et periculo : Deus enim illi aderit, eumque a periculo non tantum salvum, sed et gloriosum quasi multorum salvatorem, educet. Jonas enim, fugiens periculum prædicationis et salutis animarum,

incedit in proprie vite periculum, utpote jactatus in mare. Idem vero in navi communis periculum in se suscipiens, et se et navim salvavit. Fugit ergo ut homo, periculo vero sese obtulit ut propheta, ait Chrysostomus. Idem cogitent et faciant qui vel a Deo, vel a Superiore mittuntur ad prædicandum hæreticis, Indis, Barbaris, ad audiendum confessiones, præsertim feminarum. Quæ de re exstat illustre exemplum apud Palladium in *Lausica*, cap. XXXV *De Abbate Elia*, qui, cum trecentis monialibus præesset, ideoque sentiret stimulum carnis, præfectura earum se abiecit; sed a tribus angelis eum in visione castrantibus jussus eam resumere, deinceps per quadraginta annos earum curam gerens cum tanta quiete et castitate, ut nunquam libidinis tentationem senserit. Nostre Societatis fundator S. Ignatius dicebat : « Si Deus mihi optionem daret vel illico moriendi, et eundi ad cælum, vel adhuc vivendi, et ejus gloriam promovendi, sed cum meæ salutis incertitudine et periculo, eligerem adhuc vivere et Dei gloriam promovere; quia non dubito quin Deus omne hoc periculum, quod ejus amore despicio, in se susceperet, illudque mihi longe magis assecuraret. » S. Xaverius in Mauricæ insulis proficiscens, cum amici ei hoc iter dissuaderent, proponerentque pericula ætus, famis, barbarorum incolarum, qui ferro et veneno sæviente, etiam in suos, respondit longe majus periculum sibi creari, si Deo ad eas vocanti non obediret. Profectus ergo, in una urbe Tolo 25 hominum millia Christo adjunxit, tantaque animi lætitia perfruitus est, ut inde scribens dicit : « Hæc omnia pericula et labores unius Dei causa sponte suscepti, thesauri sunt divinis maximisque gaudiis refertissimi, ut hæc insule imprimis appositæ ad oculorum aciem ex jucundissima lacrymarum ubertate perendam esse videantur. Equidem nunquam me tot, tantis, ac tam continuis animi voluptatibus circumfluere memini, prorsus ut omnem laborum et ærumnarum sensum obruant. » Nimirum sentiebat illud *Psalm. XCII, 19* : « Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo : consolaciones tuas iustificaverunt animam meam. » Et illud *Psalm. XXII, 4* : « Nam et si ambulavero in medio vinee mortis, non timebo mala : quoniam tu mecum es. » Ita referit in ejus Vita Tursellinus, lib. III, cap. II et III. Ratio est prima, quia cum Deus aliquem vocat ad officium, vel statum, cuius institutum est vacare saluti proximorum, simul dat gratiam et media ad hunc finem non tantum necessaria, sed et commoda ac opportuna. Hoc enim poscit ejus providentiæ suavis et exacta dispositio. Ita sponsam, id est Ecclesie viros primarios, vocat *Cant. II* : « Surge, propera, amica mea. » Quo? « haud dubie ad lucra animarum, » ait S. Bernardus *serm. 37 et 58 in Cant.* His enim sponsus dicit id quod Absalon suis servis ait : « Nolite timere, ego enim sumis suis precipio

Topologie, qui curant animas periculis a Deo amantur.

Totibus locis de prædicatore Christi.

Ubi et Jonas?

vobis, » Il Reg. xiii, 28. Hoc sciebat S. Paulus, qui proinde intrepidus inerebat se periculis, dicens : « Sufficientia nostra ex Deo est, qui et idoneos nos fecit ministros novi Testamenti, » Il Corinth. iii, 5. Potens est enim Deus nos omni periculo eripere, ut eripuit Davidem, Psalm. v, 43 : « Domine, ut scuto bone voluntatis tue coronasti nos; » et S. Paulum, Il Corinth. i, 4, et Danielem de lacu leonum, et tres pueros de fornace Babylonia, et Jonam de ventre ceti.

Secunda, quia majus a Deo iudice nobis instat periculum, si ejus vocationem fugiamus, ut fecit Jonas; si ejus talentis nobis concreditis ad ejus voluntatem et gloriam non utamur. Nota est parabola servi defodientis talentum, qui damnatus a Domino audivit : « De ore tuo loquere iudico, serve nequam, etc., quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, ut ego veniens cum usuris utique exigessem illam? » Luca, xix, 22, de quo vide S. Augustinum, lib. De Fide et Oper. cap. xvii. Huc facit illud S. Ambrosii, lib. I Offic. cap. iii : « Videamus ne reddamus rationem pro otioso silentio. Est enim et negotiosum silentium, » ut fuit in Susanna silenter Deum invocante, Daniel. cap. xiii, 35 : « Et est silentium otiosum, » ut est eorum qui tenentur loqui, docere, corripere, exhortari alios. Sicut ergo libertas libertate perit, quies quiete, otium otio; ita ex adverso periculum non nisi periculo propulsatur, ac pax inter hostes non nisi bello paratur, et otium negotio.

Evomit. — Hæc vox significat Jonam ita gravasse, arctasse, impedisse respirationem, et afflixisse ventrem ceti, ut coegerit eum evomere, sicut stomachus cibum noxium a quo lincinat et affligitur, cum violentia rejiciens vomit. Ita Christus descendens in mortem et infernum ita ea afflixit, ut non tantum coegerit ea se remove, sed etiam ut ea occiderit, perinde ac ichneumon per os intrans in ventrem crocodilli, cum erodit et occidit, teste Plinio lib. VIII, cap. xxv. Hæc est quod ait Osee cap. xiii, 14 : « Ero mors tua, o mors; morsus tuus ero, inferne. »

Ex hoc loco censent nonnulli Jonam fuisse unum e Sanctis qui resurrexerunt cum Christo, ac cum eo tam in corpore quam in anima gloriosi ascenderunt in caelum, Math. xxvii, 52. Si enim Adam, Job, Abraham, Isaac, Jacob, Moses, David, Job resurrexerunt; ergo et Jonas. Nam ipse præ cæteris solus resurrectionem Christi tertio die futuram prophetavit, et reipsa representavit, dum tertio die e ventre ceti, quasi e sepulcro redivivus surrexit. Ipse ergo apertissimus erat testis resurrectionis Christi, poteratque dicere Judæis: Ego sum Jonas, qui olim resurrectionem Christi prædixi, ac proinde missus sum a Deo ut idipsum jam peractum esse tester. Testor itaque hunc esse Christum a me præannuntiatum, eumque vere tertio die a morte suscitatum esse, sicut ego tertio die e ventre ceti suscitatus sum, ut hanc ejus

suscitationem præfigurarem. Ita Pineda in Job, cap. xix, 26, ubi ex illis verbis Job : « Et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum salvatorem meum, » probabiliter colligit Job resurrexisse cum Christo. Hic enim est Jesus, id est salvator, quem se visurum prædicit, ob meritum tot tantarumque afflictionum, quibus Christum patientem representavit.

Anagogice ex Jona e ceto redivivo probat resurrectionem corporum S. Irenæus, lib. V Contra Hæres. cap. v, et lib. III, cap. xxii, ubi simul ex eodem ostendit magnificentiam Dei perfici in infirmitate et obedientia hominis : « Sicut enim, inquit, patienter sustinuit absorberi Jonam a ceto, non ut absorberetur et in totum periret, sed ut evomitus magis subigeretur Deo, et plus glorificaret Deum, qui insperabilem salutem ei donasset; et firmam penitentiam faceret inimicis ut converterentur ad Dominum, qui eos liberaret a morte, contentos ab eo signo quod factum erat circa Jonam, quemadmodum Scriptura de his dicit: Et reversi sunt unusquisque a via sua mala, etc. Sic ab initio patiens Deus hominem absorberi a magno ceto, qui fuit auctor prævaricationis, non ut absorptus in totum periret, sed præstruens et preparans adinventionem salutis, quæ facta est a Verbo per signum Jonæ his qui eandem cum Jona de Deo sententiam habuerunt, et confessi fuerunt et dixerunt: Servus Domini ego sum, et Dominum Deum celi ego colo; ut insperabilem homo a Deo percipiens salutem, resurgat a mortuis et clarificet Deum, » etc. Et inferius : « Hæc ergo fuit magnanimitas Dei, ut per omnia pertransiens homo, et morum agnitionem percipiens, dehinc veniens ad resurrectionem, et experimento discens unde liberatus est, semper gratus existat Domino. Cognoscat autem semetipsum, quoniam mortalis et infirmus est; intelligat autem et Dominum, quoniam in tantum immortalis et potens est, et ut mortali immortalitatem, et temporali æternitatem donet. » Sic et Tertullianus, lib. De Resurrect. carnis, cap. lviii, eandem probat exemplo Jonæ, qui vixit in alvo ceti, « in quo, inquit, naufragia digerebantur; » et trium puerorum, qui in fornace Babylonia ab igne manserunt illesi; atque Eliæ et Enoch : « Qui, ait, necdum resurrectione dispuncti, quia nec morte functi; et hoc ipso jam æternitatis candidati, ab omni vitio, et ab omni damno, et ab omni injuria et contumelia immunitatem carnis ediscunt, cuiusmodi fidei testimonium signant, nisi qua credi oportet hæc future integritatis esse documenta? » Quocirca Jona in celo sepulto, indeque resurgenti similis fuit S. Matæi, S. Petri discipulus, qui ab eo missus cum S. Eucharistia et Valerio Trevirim ad evangelizandum, in ipso itinere Helli apud Selestatium febri valida correptus delinquitus est. Socii ad S. Petrum regressi ab eo baculum acceperunt, quem S. Matæo quadragesimo die a morte applican-

Jonas in
ceto re-
divivus.

Dei et
Eliæ et
Enoch.

Eius de
terrore.

tes, eum resuscitarunt; ac postea ipse totidem annis supervixit, fuitque apostolus et episcopus Trevirensium et Colonensium, quot diebus jacuerat in sepulcro, puta quadraginta. Ita habet ejus Vita et Chronica Leodiensium, et Otto Fri-

singensis, lib. III Chron. cap. xv, qui tamen pro diebus 40 ponit 33. Sicut ergo Jonas e ceto ejectus 40 diebus Niniivit, ita S. Matæus resurgens 40 annis predicavit Trevirensibus, aliisque Germanis et Gallis penitentiam.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jonas prædicat : Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur. Niniivita cum suo rege agunt penitentiam in jejuniis, cilicio et cinere. Hinc Deus eis parcit.

1. Et factum est verbum Domini ad Jonam secundo, dicens : Surge, et vade in Niniven civitatem magnam : et prædica in ea prædicationem, quam ego loquor ad te. 3. Et surrexit Jonas, et abiit in Niniven juxta verbum Domini : et Ninive erat civitas magna itinere trium dierum. 4. Et cepit Jonas introire in civitatem itinere diei unius, et clamavit, et dixit : Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur. 5. Et crediderunt viri Niniivite in Deum : et prædicaverunt jejuniis, et vestiti sunt saccis a majore usque ad minorem. 6. Et perveniit verbum ad regem Ninive : et surrexit de solio suo, et abiecit vestimentum suum a se, et indutus est sacco, et sedit in cinere. 7. Et clamavit, et dixit in Ninive ex ore regis et principum ejus, dicens : Homines, et jumenta, et boves, et pecora non gustent quidquam : nec pascantur, et aquam non bibant. 8. Et operiantur saccis homines, et jumenta, et clamant ad Dominum in fortitudine, et convertatur vir a via sua mala, et ab iniquitate, quæ est in manibus eorum. 9. Quis scit si convertatur et ignoscat Deus : et revertatur a furore ire suæ, et non peribimus? 10. Et vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala : et misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat ut faceret eis, et non fecit.

Vers. 1. 1. ET FACTUM EST VERBUM DOMINI AD JONAM SECUNDO. — Videtur Jonas e ceto liberatus statim adire Jerusalem et templum, ut vota sua Deo solveret : simul sperabat Deum hæc sua poena et penitentia contentum fore, nec amplius ursum deus in Niniven, cum ecce secundo Deus eum mittit, atque :

Vers. 2. 2. SURGE, ET VADE IN NINIVEN : ET PRÆDICA IN EA PRÆDICATIONEM (minas excidii) QUAM EGO LOQUOR ; — Septuaginta, locutus sum, cap. i, 2.

Allegorice, sicut Jonas e ceto quasi resurgens predicavit Niniivitis, ita Christus post resurrectionem suam per Apostolos predicavit gentibus. Ita S. Augustinus, cujus verba recitavi cap. ii, vers. 11.

Vers. 3. 3. ET NINIVE ERAT CIVITAS MAGNA. — Hebræa et Septuaginta, magna Deo; Chaldeeus, magna coram Domino, id est revera magna, et magna valde, ut vertit Pagninus; magnum enim est, non quod hominibus qui parva mirantur, sed quod Deo optimo maximo magnum videtur; ideoque Deus tanti Niniven ejusque salutem fecit, ut ea de causa eo miserit Jonam, et penitentem pepercerit, ut ipse ait cap. iv, 11. Ita Theodoretus. Errat

Stidas, verbo Semiramis, ubi ait Niniven eandem esse urbem cum Babylone : Ninive enim fuit regia Assyriorum, adiacens Tigri; Babylon Chaldeeorum, adiacens Euphrati. S. Hieronymus vertit : Ninive erat civitas magna Dei, id est maxima. Quæ enim Dei sunt, maxima sunt: sic vocantur cædri et montes Dei, id est maximi et altissimi. Aliter a Castro : Dei, inquit, id est divina, hæc est omnibus numeris absoluta, sicut Deo nihil deest, isque absolutus et perfectus quaquaversum est.

ITINERE TRIUM DIERUM. — Ita et Syrus, et Arabicus uterque. Primo, S. Hieronymus, Haymo et Remigius id accipiunt de circuito Ninives. Erat enim, inquit S. Hieronymus, « tanti ambitus, ut vix trium dierum posset itinere circumiri. » Secundo, q. d. Itinere tridui opus erat ad hoc, ut quis omnes ejus vicus et plateas perambularet. Unde ex Hebræo verbi potest : Ninive erat trium dierum perambulationis. Ita Theophylactus, Lyranus, Valabius et alii. Verum hoc exilius videtur, quam ut ob id Ninive vocetur civitas magna Dei, cum etiamnum mille sint urbes non adeo magnæ quæ tot habent flexus et reflexus; tot plateas, vicos, foras, templa, circos, montes, etc., ut si